



Biezanowski Stanislai Jos: Pharus immortalis gloriae.





# PHARUS
## IMMORTALIS GLORIÆ,
lucido virtutum, & Sapientiæ fulgore
ÆTERNUM CORUSCANS,
SVPRA TVMVLVM
Clariſſimi olim, & Excellentiſſimi Dñi
# D. M. LUCÆ PIOTROWSKI,
COLLEGÆ MAIORIS, REGII PROFESSORIS,
Scholarum Nouoduorſcianarũ Prouiſoris,
Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis
## GENERALIS OECONOMI,
Dum ad Ædes D. ANNÆ, Iuſta illi funebria,
PERSOLVERENTVR,
poſthumo meritorum tanti Viri præconio,
doloriſque publici affectu,
*A*
M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI LEOPOL.
Philoſophiæ Doctore, Collega Minore,
Ordinario Poëſeos Profeſſore,
ERECTA,
*LVCIQ; PVBLICÆ*
## CONSECRATA.
*Anno Salutis 1679. Die 28. Menſis Iunij.*

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



Ad nubem animorum,
rursùm erudita pectora cogit; qui necdùm
ex vmbris prioribus emersit dolor,
nunc demùm verè Parentalibus suis ingemiscens, dum tolluntur
magni Academiæ Parentes.
Mirum est,
*quod nunc mortem, augusta non nisi crimina delectent*;
quæ cum in Rectore nuper,
Coronam capitis nostri violasset;
nunc ad Virorum procedit gemmas.
*Quis exoculatam putet? quæ in* LVCA *Solstitium virtutis*,
lucemq; animi centoculam vidit;
maturitati nostræ inuida, in senium prona,
consumatos eripiens, virtutis Senaculum claudit;
*iamq; in eclypses nostras iurata, magnis luminaribus interponit terram*,
Philosophica sidera vrgens, post Theologum iubar.
Sed habeat vmbrarum mater,
funestam hanc à calamo plagam;
*nimirum vt vbi cogitauit tenebras, lucidam inueniat Pharum*;
quæ non configat oculos eius, sed exurat.
Clarissimus Vir LVCAS PIOTROWSKI
eat in omne æuum, quod Summa Virtute meruit,
immortalis gloriæ suæ lampadophorus.
Stabit illi supra cineres eruditos,
aurea hæc lampadum moles;
in quam non tota Memphis, cum Libycis ignibus laborauit;
Sed vitæ, & Sapientiæ candor.
Cœptus hic à nobilibus Podlachiæ ceris,
claritudinem Sanguinis magno animo vicit.
*Carbasa illa, quæ maiorum titulis, & longa serie, facilè tument*,
placidis ille composuit Etesiis;
*tantumq; sumpsit ex auito Sanguine, quantùm ad animi purpuram satis*.
Clara nominum incendia Phaetontibus suis relinquens,
stantesque in curribus Æmilianos, ad aurigas fortunæ mittens,
Solidissimam animi partem,
quâ Deo, & Sapientiæ viuitur, in titulum gloriæ elegit.
Gemina laurus philosophica nihil illi addidit,
præter victoriam sui perennem.
*Sub hoc coronamento incessit semper, magnæ constantiæ Scipio*;
nunquam alijs Censorinus, quamuis vbiq; sibi Cato;

Supra omnes laureas, modestissimo de se sensu,
*& ex domitis affectibus, animi triumpho laureatus.*
Principium illi validæ eruditionis
ab elementis Grammaticæ,
mirâ methodo, ordine, & dogmate solido digestis,
paruis hisce pennis, magnum ad summa Dædalum tulit.
Vt primæ pueritiæ Pater fieret,
*non erubuit cum Agesilao, in ludum etiam venire;*
ex oreq; infantium, & lactentium,
diuinam in sapientia perficere laudem.
Lampas hæc animorum lucidissima
*ab hac modica scintilla, venit ad uastum illud eruditæ claritudinis,*
quale decuit LVCAM.
Triumphorum D. VLADISLAI IV. felicitas,
cum Orbem impleret, excederetq;,
solam in LVCA PIOTROWSKI mentem inuenit;
quæ Maiestatem eius comprehendit;
datis in publicum augustis eius operibus,
*eà rerum magnificentia, eo dramatum splendore;*
quo nec ipse VLADISLAVS maiorem optasset;
cum ad pedes eius Moschua sub Smolensco procubuit.
Vrbis Romæ admiranda,
domi nostræ Sarmatæ vidimus;
*cum ab ingenio* LVCæ, *prisca Latij maiestas,*
hoc in vno pectore fecisset, quod vix olim fecerat
Circus Maximus, & theatrum.
*Humaniorum literarum Flamen, & Phœbus,*
in Philosophicis Dictator,
*cum Subtili Scoto, primus in Vladislauiano Cursu,*
diem Philosophis dixit.
Cos animorum exinde,
*cum acutissimis certare, aut ipse acuere ingenia suetus,*
*ex pulcherrimo conflictu, nunquam abijt pro seipso triumphans;*
sed quia veritas vicit.
Hoc illi Ariadnæ filum,
contra malè prætensos in Schola Subtili labyrinthos.
Viam hanc secutus, vsus est subtilitate ingenij,
*non ad mobile discurrendi flabellum, sed ad dogmatum robur;*
*cum vitâ pariter, & intelligentiâ Philosophum ageret,*
non præferret.

Oraculorum animi eius cortina,
in silentio, & seculi fuga Delphos habuit;
cumq; typum Academiæ daret,
in Archetypum virtutis ipse euasit.
Hæc in eo ab imis radicibus solida,
etiam Leoni Suecico non cessit;
qui cum sciuisset vincere Poloniam;
*non potuit supra constantiam* LVCæ, *victoriâ vti.*
Transmarina illa tot discriminum Patriæ triremis,
*cùm præternauigasset omnia, ad hanc rupem dissilijt;*
in quam coaluerat pectus fidei illibatæ.
Hæc est illa purioris conscientiæ sedes,
magno Opatouio dilecta, probataq;;
*cum probitatis thymiama facile ex eo percepisset,*
*nouus ille in Adamo, innocentiæ seculi nostri protoplastes.*
Bonorum animi pleno,
quidni fortunæ quoq;, & bona Vniuersitatis crederentur;
*in quibus quantùm præstitit, reuelabunt Oeconomum quæ succedent.*
Supra triginta annos ad hanc crisim formatus,
non metuit posterorum iudicia;
quæ in seipsum rigidius extendit;
*illâ animi integritate, illo prisci moris, & vitæ tenore constantissimus,*
quo senium mentis, etiam ante canos retinens,
in proposito, & amore honesti, vixit, & obijt quadratus.
*Ad extrema vitæ non venit ex improuisò;*
sed per stillicidia mortis;
paratus animo, & momenta sua computans;
*quæ cum Deo semper cum diuideret, cùm eodem conclusit;*
magnus animæ suæ Oeconomus,
cui panem Angelorum in annonam vitæ prouidit;
lampades quoq; suas, ad Pharum æternitatis adornans;
*qui in vita, & sapientia, oleum, & operam non perdidit;*
Sacro oleo inunctus
bonus Academiæ Ciuis, bonus Christi Athleta
L V C A S
beatam transijt ad LVCEM.

